



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Sententia Peripatetica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

dat iisdem & operari, ubi & quando convenit, nec ad unam speciem alligatur plures habet in sua potentia.

Sententia Peripatetica.

Dicendum igitur, dari causam motus creatam. Patet ex dictis, quia motus omnes in unum Deum refundi non debent. Quia verò R.R. in investiganda causa motus originali, proxima & immediata, nihil assignarunt, quod pensatis omnibus satisficiat, Peripatetici quodammodo sunt in possessione, dum asserunt motum provenire ab impetu vel innato vel impresso, ad hoc specialiter ordinato, ut motum seu ubicationes fluentes producat versus illam partem, versus quam est nisus seu impetus. Per impetum innatum intelligimus vim corporibus intrinsicam, sive dein hæc fluat à quantitate aut forma substantiali, ut communiter volunt Peripatetici; sive vim istam habeant corpora simplicia, ut volebat Epicurus, cuius doctrinam exponit Tullius lib. 1. de Finibus, his verbis: *Censet Epicurus, illa individua & solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam; hunc naturalem esse omnium corporum motum.* quod ex propriis cuiusque principii repetendum est.

Quid si diceretur, impetum innatum esse vim illam, seu nisum stabilem, quem initio temporum corporibus indidit Author naturæ; impressum autem, qui à creatura producitur aut communicatur? Nempe Auctor naturæ juxta fines intentos varium indidit nisum. Sic ad conservationem globi terraquei & varios in eo motus intentos, nisum indidit Deus, quo partes in unum, licet inæqualiter, conspirent centrum. Rursus si lux habeatur per impulsu alicujus materiæ, vis aliqua motrix debebatur corpori lucido, v. g. soli. Idem dic de motu celorum, siderum, materiæ subtilis ætheræ &c. Stabilitis autem primariis motuum fontibus per se resultant alii per motus seu impetus communicationem ex corporum collisione, pressione, percussione &c. hinc varii impetus & motus impressi, quos ipsi sentimus, cum trudimur, cum cymba in littus appellit &c. nec tantum hujusmodi impetum vel motum recipimus, sed etiam producimur ipsi tum in corpore nostro, tum in aliis, ut in lapide sursum projecto. Hoc quoque possunt bruta, & à fortiori Angelus corpori applicatus; hinc novi motuum fontes in viventibus.

Proprietates impetus sunt variae. Innatus agit, etiam ubi non datur motus: neque perit, etiam si ab impresso superetur; sic pondus impositum capiti nititur deorsum, etsi non descendat, imò etiam si sursum attollatur, quia hunc impetum indidit Deus stabilem. Impressus autem omnino perit per resistantiam aut impetum fortiolem contrarium: sic lapis in altum projectus impetum impressum sensim amittit ob resistantiam medii & contra nitentem gravitatem seu innatum nisum deorsum, atque illo amisso proprio pondere in terram relabitur. 2. Impetus intensioris capax est, si nempe causa continuè applicata, quò minus agat, non impediatur. Id patet in impetu impresso; si enim rotam aut campanam fortius aut sæpius impellas, augebitur impetus & motus. Idem potest impetus innatus, si ab actione non impediatur; sic lapis liberè decedens majorem acquirit impetum: cum enim impetus innatus possit alteri corpori impetum imprimere, cur id non possit in corpore, in quo est? 3. Si non concurrant impetus diversi, resultant motus compositi, v. g. ex impetu innato & impresso, horizontaliter aut obliquè projecta lineam describunt parabolicam.

4. Ex allisione, percussione, differentia medii, in quo feruntur corpora, resultat aliâ motûs determinatio, reflexio, refraçtio, de quibus postea.

Ut tamen video, hæc vis intrinseca se aut alia movendi in agentibus creatis tibi non placebit; asseris enim, hanc nec in idea corporis, nec in idea creatæ mentis contineri; nam corpus clarè concipitur sine motu & nisu sub idea substantiæ extensæ in longum, latum, & profundum: mens autem creata perceptiones duntaxat & voluntates in sua idea concludit: ergo creatæ mentes motum in corporibus propriè producere nequeunt, & motus corporum ab ipsis corporibus propriè non proficiscitur. Hæc est formalis conclusio D. Purchot in sua Phil. aliorumque Cartesianorum, quibus accessit Bernard. Conon Anglus in suo Evang. Med. & alii; quanquam Cartesius ipse Tom. 1. Epistolarum Ep. 69. doceat contrarium; ibi enim asserit, se nullam videre rationem verisimilem, cur ens immateriale, qualis est anima vel Angelus, non possit motum in corpore producere, nec hujus repugnantiam in idea entis spiritualis. Nempe illi ex suis ideis metiuntur rerum naturam & possibilitatem; quasi verò ratio existentiae & possibilitatis rerum ab eorum dependeret ideis, & non potius illi in hoc niti deberent, ut eorum ideæ rebus congruant. Dantur equidem ideæ non fallaces de primis principiis aliisque veritatibus certis & evidentibus præsertim abstractis; sed fallaces sunt aliæ plures, quales sunt illæ Cartesii de essentia corporis in extensione actuali, de illius impenetrabilitate, de impossibilitate vacui &c. Dantur præterea ideæ imperfectæ, non repræsentantes adæquatè & perfectè suum objectum, ut docetur in Logica, ubi de præcisionibus formalibus & objectivis; unde ex eo, quòd idea animalitatis non includat rationalitatem, malè inferres, non posse eidem supposito inesse.

Sed ad rem nostram: quæro ex te, utrùm potentia motrix in tua idea excludatur & repugnet essentiæ corporis aut spiritus creati? si asseris: dic, cur & quomodo? si dicas, ut dixisti, quia non includitur; rationem affers insufficientem. Quæro enim ulterius, an in tua idea corporis & spiritus includatur capacitas, ut simul intimè uniantur, ita ut spiritus agat in corpus, & vicissim corporis mutationes percipiat spiritus, indeque resultet una substantia completa & suppositum unum? Utrùm dein in tua humanitatis idea includatur capacitas recipiendi Unionem hypostaticam, Gratiam sanctificantem, & mira miris modis operandi? Id enim verò minimè; & tamen defacto datur: hæc quidem fiunt supernaturaliter, quia sunt supra vires & exigentiam naturæ creatæ; capacitas tamen jam inest animæ aut naturæ humanæ, quamvis non sit in tua idea. Prius autem fit etiam naturaliter, quia non superat vires & exigentiam naturæ. Si jam corpus possit spirituales animam informantem recipere, cur non impulsus materiale? si anima possit in corpus agere, cur & quomodo non illud movere? imò hoc involvit ratio animalitatis; quale enim foret animal sine principio motûs intrinseco? Cur dein Angelus non moveat seipsum? cur non possit movere corpus, cui applicatur, ut de corporibus assumptis vel motis asserunt Theologi? cur potentia motrix non possit corpori impulsus imprimere, per quem moveatur, etiam cum à potentia removeatur? Hæc sua-

det ratio, testatur experientia, evincunt S.S. Litteræ, docent

S.S. Patres & Theologi.